

minus nauis que fuerit de sex annis; et omnibus aliis nostris statutis nauium.

St. Zen, CV a CIX.

[3]. *Quod nullus ultra quod statutum est debeat caricare.*

Si quis uero ultra quod dictum est caricare presumpserit, nostro communi emendare teneatur duplum de omni eo quod plus caricauerit. Ita quod licitum sit communi se tenere ad precium maioris naui quod receperit patronus.

St. Zen, LXIV.

[4]. *De scribano habendo et consulibus presentando.*

Ordinamus etiam quod quilibet patronus nauis te-
c. 351t. neatur, sub pena librarum C, presentare scribanum nauis coram consulibus ad iurandum de legaliter scribendo caricum et merces nauis; qui debeat iurare quod bona fide sine fraude scribet merces et caricum nauis, et quod scriptum ipsum dabit infra octo dies dictis consulibus postquam Ueneciis applicuerit, et quod manifestabit ipsis consulibus si caricata fuerit nauis ultra statutum. Eodem modo dicimus obseruari de scribano quem patronus acceperit ultra mare, quod presentari debeat et iurare coram baiulo uel rectore ut dictum est supra.

St. Zen, XLI.

[5]. *Capitulum peregrinorum.*

Preterea statuimus quod naues que exiuerint per muduam pasce de Syria cum peregrinis, debeant exire et collare de partibus illis usque ad octauum diem intrantè mense madii; et qui per muduam yberni nauigauerint, debeant exire et collare usque ad octauum diem intrante octubri, nisi remaneret iusto impedimento temporis. Et patroni nauium teneantur se presentare et iurare,